Jahres-Bericht

über das

Gymnasium zu Soran

von Ostern 1870 bis Ostern 1871,

mit welchem

zu der am 31. März und 1. April

stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und zur Schlußfeierlichkeit

im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet

Dr. H. Liebaldt,
Gymn.-Direkt.

Inhalt: 1. De Homericorum carminum ratione strophica. Vom Gymnasial-Lehrer Heinrich Lutze.
2. Jahres-Bericht.

Sorau, 1871.

Druck von J. D. Rauert (C. & P. Dyhse).

De Homericorum carminum ratione strophica.

Virorum doctorum de rebus metricis scripta, quae intra hos decem fere annos prodierunt, perlustrantes non ita pauca reperiemus, quibus de arte strophica poetarum et graecorum et latinorum inventa et invenienda agitur. Singulos fere deinceps poetas ita tentari videmus, Horatium, Virgilium, Tibullum, Catullum, Propertium, Theocritum; neque ipsa tragicorum diverbia neque carmina epicorum hoc stropharum intrudendarum periculo intacta manserunt, ita ut Westphalus, vir ille sagacissimus rerumque metricarum peritissimus alteram libri sui de arte metrica Graecorum et Romanorum editionem praefatus haec studia non potuerit non acerrime reprehendere. Ex variis his periculis poetarum carminibus, quae κατὰ στίχον, ut Graeci dicunt, composita nobis tradita sunt, rationem strophicam impertiendi unum delegi, quod data mihi hac scribendi occasione nunc paullo accuratius illustraturus sum. Dico rationem strophicam, quam nostris temporibus indagasse sibi visi sunt viri docti in carminibus Homericis.

De carminibus Homericis virorum doctorum disceptationes viguerunt et etiamnunc vigent. Ex quo Fridericus Augustus Wolfius Prolegomenon ad Homerum libro dubitationes et de unitaria, quae ad id tempus putabatur esse, carminum indole et de ipso Homero in medium protulit, prorsus nova de poesis Homericae et historia et forma ac compositione studia sunt excitata. Atque diu jam his multumque agitatis et interpolationum in Homerum intrusarum disquisitione quum ab aliis tum a Godofredo Hermanno suscepta, auctor exstitit illius carminum, quae dicitur, theoriae Lachmannus, vir subtilissimi et acutissimi ingenii, qui quum carmina nostra antiquiora summa cum diligentia perscrutatus antiquissimae poesis epicae naturam et conditionem perspexisse sibi visus esset, eandem qua in illis usus erat viam ac rationem ad Homerica etiam carmina adhibere non dubitavit. Nec vero defuisse, qui aut in Lachmanni argumentationibus nihil fiduciae collocantes ex carminum indole

unum eundemque poetam cognoscere [1]) certumque per omnia deinceps carmina, amplificata certe illa passim additamentis, intellegere sibi viderentur et adhuc videantur consilium, aut Lachmanni signa in universum secuti de aliis alia statui vellent, uberrima inde ab ejus tempore usque ad hunc diem de Homero scripta docent. Jam vero dum et de omni quaestione Homerica in utramque partem disputatur et de carminum, quae constituuntur, ambitu et argumento definiendo multa inter „carminum venatores" exstat controversia, quaestio de strophica eorum forma ac compositione proposita est.

Atque primus quidem hanc quaestionem movit Arminius Koechly anno 1853 dissertatione lectionum catalogo Turicensi praemissa, qui Achivorum in Iliade catalogum ad genuinam formam pristinumque splendorem revocare conatus strophis eum quinariis decurrisse contendit. Cujus sententiae probabilitate et felici qui videtur esse successu adductus alius quis duobus annis post tria illa priora a Lachmanno constituta Iliadis carmina ostendere voluit strophis septenariis composita esse. [2]) Nec vero neglegi potuit haec doctrina a viris illis doctissimis, qui singularem jam ad res metricas contulerant operam. Itaque Westphalus anno 1857 Homerici cujusdam loci rationem strophicam notavit. In philologorum enim conventu Vratislavensi de antiquissima Graecorum poesi lyrica disserens ejusque vestigia in Homeri carminibus exstare indicans formam etiam lyricam in epicedio illo ad Hectoris corpus cantato inesse detexit. Assensus est Leutschius, qui dissertatione de hexametri origine Philologo suo inserta suum de strophica hujus loci ratione judicium protulit. Ipse denique Arminius Koechly, hujus doctrinae in Homero auctor et princeps, quum singulis deinceps libris inde ab anno 1857, quidquid „proprio Marte" in quaestione Homerica praestare posset, evulgaret, in ea quae quarta ab ipso nominatur dissertatione brevem strophicae rationis expositionem ad sextum septimumque suae Iliadis carmen applicatam exhibuit. In reliquis vero carminibus quatenus eadem stropharum ars appareret, tum quidem accurate explicare supersedit, in universa pollicitus Graecarum litterarum historia se eam diligentius pertractaturum esse. Haec quidem ad hunc usque diem in lucem non prodiit; in duobus vero aliis libellis ad viam huic quaestioni aperiendam et muniendam aliquid conferre voluit. Quum enim anno 1859 dissertatione gratulandi causa ad Welckerum missa de ultimo Iliadis libro egisset et strophicam ejus compositionem demonstrasset, in editione sedecim illorum carminum, quae Iliadis parvae nomine insignivit, omnes suas de hac re observationes publici juris fecit, non verbis quidem illas definitas, at litteris margini appositis notatas. Jam si discesseris ab iis, quae alii etiam data occasione ad hanc rem illustrandam dixerunt, haec fere sunt, quae disputanti de strophica versuum Homericorum ratione maxime respicienda sunt. Quae qualisque sit haec ratio, nunc videamus.

---

[1]) Ipse Wolfius in praefat. ad Iliad. p. XXI. Nunc quoque, inquit, usu evenit mihi nonnunquam, ut quoties abductus ab historicis argumentis animo redeo ad continentem Homeri lectionem et interpretationem, pro Homereis habeam omnia atque Homeri unius artem admirer in eis, quae apud eum hodie legimus. — [2]) vid. Jahnii annal. 1855 p. 412 sq.

In universum his quas dixi dissertationibus recensitis in duo vel tria potius genera dignosci posse mihi videntur illa stropharum in Homero investigandarum pericula, quorum primum qui susceperunt detegendum, in lyricis id argumentis vel lyricam speciem prae se ferentibus inveniri dixerunt; duo vero altera in ipsa epicorum arte videmus indicata. Quae quidem inventa quum non omnia eadem virorum doctorum comprobata sint assensione, ita jam instituam, ut in campum minus petitum primum descendam.

Totam compositionem strophicam ex melica poesis indole ac ratione sola derivandam esse una eademque omnium virorum doctorum sententia est. Nec vero magis in dubitationem vocatur, quin quotquot exstant antiquissimae poesis testimonia, ad eam nos abripiant sententiam, ut cantata, non recitata carmina fuisse censeamus. Quocunque enim oculos convertimus, sive ad Graecorum carminum antiquissimorum vestigia [3]), qualia apud Homerum servata invenimus, ipso *ἀοιδῶν* nomine ad lyricam eorum rationem ducimur, sive ad vetustissima, quae scimus, Germanicae Musae indicia [4]), prolata illa quum ab aliis tum a Tacito potissimum, iterum cantu ea edita fuisse videmus. Omnino vero ejus, quo tum gentes ingenii cultu inclaruisse consentaneum est, ratione habita non poterimus non soli cantui vindicare, quod per singulas deinceps aetates tradita memoriaeque mandata sunt carmina. Itaque non nimiae erit audaciae proponere, antiquissimorum carminum compositionem strophicam fuisse, utpote ad eosdem modos adaptatam. At data hac ratione vedicis [5]), eddicis [6]), antiquissimis ipsis Graecorum carminibus, quae omnia temporum invidia interierunt, quid ad carmina Homerica, quorum de compositione strophica quum universa eorum ratio et indoles prorsus illa a canticis aliena, nihil admoneat tum nulla unquam apud Graecos innotuit suspicio? Atque summae stultitiae esse, si quis carmina epica *κατὰ στίχον* ut dicunt composita ad certam illam eorundem numerorum legem revocare conaretur, omnes consentiunt. Num vero ne ullus quidem locus artem lyricam redoleat, hic quaeritur. In hanc rem Westphalus multa docte dilucideque disputavit [7]). Quum enim id ageret, ut a Terpandro demonstraret primo ad perfectiorem quandam artem lyrica carmina revocata esse — quae quidem laus quum poetis elegorum tum Archilocho iamborum auctori tribui solet — de antiquissima poesis forma in universum nonnulla praefatus varia illa, quae postea exculta inveniuntur, lyricorum genera multo jam antea exercita esse ducibus ipsis carminibus Homericis statuit. Paeane [8]) enim, inquit, apud Homerum legimus Apollinem ab Achivorum legatis celebratum fuisse Myrmidonesque ab Achille admoneri, ut epinicium [9]) cantarent Hectore necato. Neque hyporchematum [10]) indicia neque hymenaeorum [11]) aut threnorum [12]) desiderantur testimonia, quorum omnium compositio quin eadem fere atque eruditiore

---

[3]) Adde quae Westphalus affert in Jahnii annal. 1860 p. 210. — [4]) cf. Muellenhoffius: de antiquissima Germanorum poesi chorica. Kil. 1847. — [5]) Pluribus exposuit Westphalus in Kuhnii libellis 1860 p. 437. — [6]) Muellenhoffius l. c. — [7]) cf. Acta philolog. in conv. Vratislav. 1857 p. 52. — [8]) Il. I, 473. — [9]) Il. XXI, 391. — [10]) Il. XVIII, 570, 590. Odyss. VIII, 262. — [11]) Il. XVIII, 493. — [12]) Il. XXIV, 720, 725.

aetate fuerit, non est cur dubitemus. Hanc enim postea non inventam, sed repetitam ex popularibus cantilenis varie amplificatam esse atque ornatam veri simillimum est. Nec prorsus destituti sumus exemplis antiquiorem stropharum rationem indicantibus. Sapphus enim carmina dactylica traditum accepimus strophis certis quibusdam et integris particulis distributa fuisse inque bucolicis carminibus, ubi cantui locum dant, antiquissimam componendi rationem ad artis normam excultam quasi revixisse inter omnes constat. [13]) Itaque Westphalus epicedium illud ad Hectoris corpus cantatum strophis ternariis sententiarum perpetuitate perspicue secretis distinguere non dubitavit. Quum vero nihil fere impediat, quo minus Helenae Hecubaeque neniae ita constituantur, ejusdem rationis ad Andromachae etiam voces lugubres applicatio in aliquid incidit impedimenti. Ut enim jam hic moneam, tota stropharum quaestio implicata est ceteris de Homericis carminibus controversiis nec nisi ad primariam Iliadis vel potius carminum, ex quibus conflatam eam multisque laciniis insuper adauctam esse viri docti demonstraverunt, formam referri potest. Atque Helenae quidem threni duobus versibus abundant, quorum alter (v. 772) ab aliis etiam nihil de strophica lege cogitantibus spurius habitus est, praeterea versu 770 ejecto, quod probatur a Koechlyo neque a Friedlaendero impugnatur, huic loco lex strophica impertitur. Eandem vero rationem in sex ultimis Andromacheae etiam neniae versibus inesse quanquam non fugit Westphalum, cetera tamen arte critica explanandi periculo supersedens satis habuit indicavisse Astyanactis commemorationem a posterioribus intrusam esse. En strophicam illam in Homero rationem. Quum vero Westphalus ex universa hujus loci cum carminibus lyricis necessitudine ad hanc doctrinam deferatur, prorsus aliam Leutschius ingressus viam adducitur, ut eandem de Troadum threnis proponat sententiam. Illa enim, quam supra dixi, dissertatione in hexametri originem historiam usum inquirens de compositione poesis antehomericae, quam testificatam, non traditam habemus, suas opiniones exposuit. Initium facit Leutschius ab antiquissimae poesis rhythmo. Ut breviter dicam, rhythmos trochaicos et dactylicos utpote ex ipsa lingua profectos ratiocinatus usitatissimos fuisse in cantilenis popularibus numeros trochaicos suum retinuisse locum, dactylicis carminibus deorum gloriam laudesque celebratas esse horum rhythmorum et natura ac vi et apud posteriores usu contendit. Quorum carminum dactylicorum compositionem primariam ut illustraret eamque strophicam fuisse efficeret, Leutschius Aristidi Quinctiliano hexametrum primum metrum dactylicum fuisse docenti adversatus tetrametrum censuit longissimum esse generis dactylici ordinem, qui quum unus deinceps repetitus nullam in se comprehenderet conclusionem rhythmicam, clausulam sibi adjungeret necesse fuisse, quae pro simplici nimirum antiquissimae poesis compositione ex eodem genere rhythmico petita esset. Cujus rei non levissimum, inquit, Archilochi novae in rebus metricis artes

---

[13]) cf. Westphalus in Jahnii annal. 1860 p. 210.

continent argumentum. Is enim lyricorum princeps — Terpandrum contra Westphalum Leutschius cum aliis e. g. cum Boeckhio, Bernhardyo semisaeculo fere post Archilochum vixisse contendit — artisque lyricae ingeniosus auctor quum primus diversa rhythmorum genera inter sese connecteret metrorumque vicissitudinem humiliori illi cavillatorioque poesis suae generi adaptaret, dactylicae loco trochaicam tetrametro dactylico subjunxit clausulam. Neque in ipso Homero quidem documenta desunt, quae hexametrum primo stropham dactylicam fuisse testentur. Tres enim in carminibus Homericis leguntur versus [14]), quibus usitata hexametri mensura repugnat; quartus enim pes metricus non dactylicum, sed trochaicum praebet metrum. Quam quidem discrepantiam jam diu cognitam removendi alii aliam arripuerunt rationem. Quum enim Spitznerus cum Eustathio hanc syllabam productam esse dicat (vid. Spitzn. de versu heroic. p. 82), Thierschius in gramm. graec. I. 216, ν consonanti positionem fieri, Hoffmannus (quaest. Hom. I. p. 99) ι vocalem longam esse censeat, Godefredus Hermannus vero unius morae intervallum insigni hujus loci caesura statuat (cf. Elem. doctr. metr. p. 40), Leutschius missis his omnibus antiquissimam versuum vel potius stropharum formam in his versibus agnoscit, ita ut duobus colis non in unum ordinem conflatis in quarto hexametro catalexis inveniatur. Jam hanc, quam detexisse se putat, strophicam compositionem in variis ante Homerum carminibus lyricis adhibitam multumque tractatam fuisse censet; quorum quamvis nulla usquam exstent vestigia, rationem tamen compositionis ex epicedio illo in ultimo Iliadis libro cognosci posse. Ejusmodi enim hujus loci naturam esse, ut poetam appareat carmen quoddam lugubre, quo Graeci soliti sint mortuos celebrare, imitandum sibi proposuisse. Quum vero melica neniarum indoles lyricam seu strophicam compositionis formam sibi vindicet, illud ita comparatum fuisse conjicit, ut terni tetrametri epodis amplificati unius strophae vinculo conjuncti fuerint. Arte vero critica, qua verba nobis tradita tentari oportet, ita vir doctissimus usus est, ut quae in Andromachae vocibus ad Astyanactem pertinent, ea posterioris cujusdam redactoris additamenta habeat, quippe quae conditionem cum ceteris pugnantem postulent. Andromacham enim et filium brachiis sustinere et mortuum conjugem amplecti. Helenae vero strophas disposuit Welckerum secutus in ep. cycl. II. p. 265 versus 265 et 266 interpolatos renuntiantem.

Tertius vero et novissimus, quod scio, Koechly peculiari libello ad Welckerum misso de hoc loco egit, cujus rationem strophicam, quam latius in carmina Homerica dominari vult, statim accuratius explicaturus sum. Strophas ejus cum Westphalo omnino convenire satis hic erit commemoravisse.

---

[14]) Il. XI, 36. X, 292. Odyss. III, 382. Ejusdem modi epodon Leutschius ponit in versu quodam apud Herod. V, 59, quippe qui huic non videatur hexameter esse.

Omnibus igitur his viris doctissimis de strophica epicedii compositione constat aliorumque, qui adhuc tulerunt, judicia[15]) nos perlustrantes comprobatam a compluribus[a]), a nemine dum impugnatam videmus illam sententiam. Quid quod Friedlaenderus in recensione Koechlyani libelli neminem, qui semel de hac re admonitus fuerit, amplius dicit dubitaturum esse.

Sed tantum abest, ut Westphalus et Leutschius generaliorem jam poesis epicae concedant compositionem strophicam, ut Westphalus plane aperteque dicat eam epicis carminibus esse abjudicandam[16]) et Leutschius suam de epicedio illo propositam sententiam ab aliorum disquisitione stropharum Homericarum diserte defendat[17]).

Duo enim praeterea indicata esse dixi strophicae compositionis genera, quorum alterum, ut statim recto verbo indicem, Achivorum catalogo, alterum reliquis carminibus vindicatur. Et auctor quidem et signifer hujus opinionis exstitit Arminius Koechly, ex quo hanc de Homero movit quaestionem. De Homero dico; antea enim in Hesiodea theogonia Gruppius[18]) et Soetbeerus[19]) strophicam jam aperuerunt rationem eamque Koechlyum ad catalogum Achivorum transtulisse constat. De quo prius disseram.

Ac primum quidem Koechly ut Achivorum in Iliade catalogum ad strophicam theogoniae rationem a Gruppio et Soetbeero propositam revocaret, Augusti Mommseni argumentationibus[20]) adductus esse videtur. Is enim quum Boeotorum et urbes et duces in ipsis carminibus Homericis minus conspicuos exspectatione accuratius describi animadvertisset et in reliquis Graecorum gentibus enumerandis ordinem quendam ex geographico earum circum Boeotiam situ repetitum servari, ex Boeotia catalogum originem ducere scholaeque Boeoticae non minus quam theogoniam adscribendum esse contendit. Quin etiam ex ipsa Musarum invocatione eam, in qua maxime colerentur, terram i. e. Boeotiam conjectari posse dicit. Jam his probatis admonitum fere Koechlyum dixerim, ut eandem, qua viri illi doctissimi primariam theogoniae formam restituisse sibi videbantur, stropharum rationem ad Achivorum catalogum — quae enim inde a versu 760 leguntur, ad unum omnes consentiunt postea adjecta esse — transferret, praesertim quum non ita parvo stropharum quinariarum numero ultro oblato eam comprobari videret. Undetriginta enim quae sunt particularum, ut qui de Aiace Salaminiisque traditi sunt duos versus annumerem, undecim[21]) sponte stropham quinariam efficiunt. Itaque arte critica reliquas tentavit, ut variis interpolationibus, quas vel strenuissimis unitariis constat in carminibus Homericis inesse, deletis eandem compositionis legem quasi eliceret. Quod quidem negotium acerrime obiit. Tria enim distinxit additamentorum genera[22]), quibus genuina catalogi forma amplificata et contaminata esset. Et primo quidem, cui geo-

---

[15]) vid. Friedlaenderus in Jahnii annal. 1861 p. 33. Susemihl ibid. 1864 p. 731. — [16]) v. Westphalus in Jahn. annal. 1860 p. 212. — [17]) v. Leutschius l. c. p. 38. — [18]) Gruppius: die Theogonie des Hesiod. Berl. 1841. — [19]) Soetbeerus: Versuch die Urform der Theogonie nachzuweisen. Berl. 1837. — [20]) vid. Philolog. V, 522—526. — [21]) vid. Jahnii annal. 1857 p. 42. — [22]) vid. diss. de genuina catalogi forma p. 14.

graphico seu populari a Koechlyo nomen est inditum, annumerantur versus 505, 507, 535, 549—551, 553—555, 557, 558, 570, 572, 607, 658—670, 753—755; secundo, quod poeticum sive Iliadicum nominatur, 528—530, 629, 634, 641—642, 649—651, 686—694, 700—702, 723—725, 742—746; in tertio, quod vulgares varii generis interpolationes continere dicitur, versus 514, 614, 636, 707—709 habentur. Quod si quaerimus artem criticam, qualis ab eo adhibita sit in interpolationum investigatione, primum illos locos non inutile erit enumerare ab aliis jam qui carminibus Homericis emendandis laciniisque liberandis indefessum laborem dedicaverunt virga censoria notatos. Ac Bekkerum videmus in altera Iliadis editione versus 491—493, 580, 670, 708—709 in imo margine posuisse; ipsos vero Alexandrinos et maximam partem Zenodotum plures etiam ab Homero abjudicavisse ex annotationum paginis 417—419 conjici licet. At in Alexandrinorum arte nostri temporis critici tantum abest, ut acquiescant, ut hoc quasi fundamento quaestionum jacto ex Homericarum epopoeiarum compage singula quaeque carmina dissolvere studentes multos alios locos deleant. Nec fere quisquam opinor erit, qui catalogum potissimum rhapsodis ansam nova inferendi laudisque affectatione in gratiam urbium multa intrudendi praebere potuisse infitietur. In quorum additamentorum genere omnia illa sunt numeranda, quae per se ipsa posterioris temporis testantur conditionem, exempli gratia quae de Tlepolemo Heraclida et Rhodo insula leguntur. Et quum catalogus omnium fere consensu[23]) ex Homericis sit removendus, eos etiam locos quibus ad rerum conditionem tota Iliade propositam adaptatur, infersos censebimus. Itaque secernenda sunt, quae de Protesilao et Laodamia et Achille ob Agamemnonis iram otium agente narrantur[24]). Jam has, quae diu prolatae erant, suspiciones non solum in suum Koechly vertit usum, sed subtiliore etiam ingenii acumine in alios locos inquisivit, quorum quos libero arbitrio suaeque legi strophicae condonasse videatur, adversariorum nos considerantes confutationes perspiciemus. Suscepit prae omnibus hoc negotium Baeumleinius in Jahn. annal. 1857. Is quum unumquemque nulla praeoccupatum judicii opinione ea quae est in catalogo ratione argumenti sibi persuasurum esse dixisset, ad certam illam rerum conditionem in Iliade expositam eum pertinere, alterumutrum de eo statuendum esse contendit, catalogum aut ab initio Iliadis partem fuisse — de unitaria ejus indole ac compositione ei constat — aut postea nostrae Iliadi additum esse. Re vero non dijudicata crimina tamen quum ab ipsis unitariis tum a carminum venatoribus prolata labefactare conatur atque diluere. Postquam igitur O. Muellerum, Nitzschium, A. Mommsenum refutasse sibi visus est, Koechlyi etiam rationem criticam aggressus singula ejus interpolationum genera perlustravit. Nec vero ipse quidem eo versuum Homericorum amore captus, ut ullum neget insiticium versum inveniri, non paucos tamen persuasum sibi habet a Koechlyo strophicae suae legis causa

[23]) cf. O. Mueller in hist. lit. I p. 94. — Bernhardy lit. graec. hist. I p. 131. — [24]) cf. Bernhardy l. c.

ejectos esse. Ejusmodi loci sunt versus 514, 557—558, 629, 634, 649—651, 686—694, 700—702, 707—709, 723—725. In aliis interpolatione agnita non potuit non speciosiorem reddere Koechlyi opinionem. Jam enim deletis 549—551, 553—555 strophica versuum de Atheniensibus emicat ratio; quibus si quis versus 686—690 strophae ambitum ferentes addiderit, non vituperabitur, quum Baeumleinium appareat, versus 691—694 non defendentem, eos qui antecedunt ut unitariae Iliadis asseclam ejicere noluisse. Strophice igitur illam de Achille Myrmidonibusque particulam habemus compositam. Idem fit in iis, quae de Locris leguntur. Neque enim nimiae audaciae erit, exstinctis versibus 528—530 addere v. 535 [25]), qui quantopere langueat et usitatissimae singularum partium conclusioni repugnet, quis est quin sentiat? Ejusdem fere modi additamentum suo jure Koechly in versu 614 posuit [26]). Ut breviter dicam, omnino ii, quos insiticios judicavit Koechly, loci ita sunt comparati, ut arta iis ducum urbiumve enumeratio aliquantulum exornetur; quae quidem ornamenta adeo a catalogi ratione abhorrere putat, ut vel versus 742—746 et ut supra jam dixi 686—690 stropharum compositioni idoneos non dubitet ejicere [27]). De geographicis quae dicuntur interpolationibus non item plana et perspicua omnia esse non ignoravit ipse Koechly, ultimum de his judicium non aliter pronuntiari posse confessus [28]) nisi obscurissimis antiquissimae geographiae nominibus rationibusque pertractatis. Via igitur ac ratione videmus Koechlyum in restituenda genuina catalogi forma egisse virisque in litteris spectatissimis de sua sententia persuasisse novimus. Bernhardy enim huic strophicae legi in Hesiodeis carminibus non parum adversatus in Homeri catalogo Koechlyi opus maximam partem bono cum successu ad finem perductum esse concedit [29]) neque Boeckhium in scholis de Graecarum litterarum historia neque Hauptium contra dixisse certo scio. Audacior vero ipso Koechlyo fuit Duentzerus, qui illius dissertationem in Jahn. annal. 1855 p. 415—421 et emendare et conficere studuit. Mommseni quam jam commemoravi sententiam verissimam ratus totum illum de Cretensibus, Rhodiis, Symaeis ceterisque insulanis locum removit ita ut poeta ab Ulyssis patria servato quem instituit ordine ad diversas Thessaliae gentes transgrediatur. Etiam illos de Thamyride versus, quos Bernhardy solos cum strophica catalogi compositione pugnare dixerat — Koechly enim consulto putat *Μουσάων θεράποντα* genealogici carminis legem migrasse eo quod enumerationum simplicitatem interrupturus erat narratione de justa numinum illorum ira impiis perniciosa — hós etiam Duentzerus ejecit cum antecedenti versu, ob eam causam suspicatus hos interjectos esse, ut urbis cujusdam Messeniacae mentio fieret. Neque cetera intacta reliquit, interdum ipsa ratione strophica usus causa versuum delendorum. Itaque missa jam faciamus ejus de additamentis argumenta et videamus, quae haec ratio esse dicatur.

---

[25]) Praeterea vid. Koechl. diss. de gen. cat. forma p. 18. — [26]) l. l. p. 23. — [27]) Prorsus alia res est in versibus 557, 558, qui sunt de Ajace et Salaminiis; de quibus mihi liceat ad Koechlyi sententiam revocare. — [28]) cf. Koechl. de Il. diss. III p. 24. — [29]) Bernhardy lit. hist. II, 1, 731.

Recordantibus nobis, unde compositio strophica originem duxerit, prorsus aliter hoc loco rem sese habere apparebit. Nam mirum quantum haec poesis catalogica distat a lyricis carminibus, quibus propter modorum iterationem compositio et forma paribus membris distincta necessaria erat. Quae quum ita sint, non mirabimur, quod hujus sententiae primum de Hesiodeis prolatae viri docti exiguam habuerunt fiduciam, non solum causas speciosas et per se probabiles desiderantes, sed versus etiam sine causa idonea videntes exstingui. Et ad hunc usque diem servatur haec judicii repugnantia [30]). Quum Gruppius primus hanc strophicam indolem indicaret, sacrae poeseos dixit eam propriam fuisse; sed quae huic catalogicae arti cum sacra poesi sit necessitudo, haud scio an difficile sit explicatu. Itaque alii, qui assensu comprobaverunt illam doctrinam, alia argumenta attulerunt. Jam Ribbekkii unius verba apponam patrio sermone, ut scripta sunt [31]).

Am einleuchtendsten, ait, wird die Thatsache erscheinen, daß der Schiffs-Catalog aus fünfzeiligen Strophen bestand. Nam, hier galt es das bunte Durcheinander der Heereshaufen gleichsam taktisch zu gruppiren und die Menge der Namen in fest geschlossenen Reihen sicherer dem Gedächtniß einzuprägen.

Poetam igitur libentissime censet strophica compositione usum esse „ut qui mente tantum linguaque componeret, certo particularum ambitu memoriam adjuvaret sublevaretque.“ Neque aliam fere causam dixeris, cur singula membra ad certam quandam normam, non omni illam, ut Ribbekkius pluribus ostendit, arte destitutam, revocata sint; quae ita fere est comparata, ut urbium ducumque nominibus binis versibus exhibitis eodem fere quasi intercalari versu navium numerum indicante singulae particulae concludantur, exceptis iis, quae diligentiore praestant expositione. Itaque haud scio an poeta putandus sit argumenti tenuitatem jejunitatemque compensare voluisse accurata beneque ordinata singularum partium compositione, veluti posterioribus Graecae Musae temporibus, quum ars et studium poetica mella manarent, diligentissimam in carminum forma consumptam esse operam virorum doctorum quaestiones demonstrant [32]).

Utrumque est, sive Ribbekkii patrocinium nostrum facimus sive aliud quid supponimus, illud acutissime verissimeque a Koechlyo inventum esse dicemus, singulas catalogi partes strophis quinariis, quas Boeckhius mavult nominare pericopas, ut hoc verbo utar, compositas fuisse, quamvis de aliis aliter statuamus. Quam stropharum doctrinam quum Koechly catalogicae poesi, si quidem haec nominum enumeratio digna est, cui nomen poesi indatur, adaptaret, multo latius eam in Homericarum narrationum et sermonum argumentis valere praedixit.

Restat enim, ut de tertio stropharum genere disseram, de quo quas Koechly fecit observationes, eas, ut supra jam commemoratum est, in sua parva Iliade collegit

---

[30]) Vide quae Goettlingius annotat in praefat. ad Hesiodi carmin. p. 54. — Bernhardy lit. hist. II, 1, 252 II, 1, 181. — Susemihl in Jahn. ann. 1864 p. 732. — [31]) Cf. Mus. Helvet. I, 1860. p. 218. — [32]) Hanc sententiam tulit Buecheler in Jahn. annal. 1860 p. 365.

collectasque litteris insignivit. Quod si stropharum ibi indicatarum rationem spectamus, tantum abest, ut unam eandemque stropham videamus per totum carmen usque iteratam esse, ut binariae, ternariae, quaternariae, vel plurium versuum strophae inter se alternent, ita quidem, ut in locis similis aut contrarii argumenti eadem fere sit usurpata. Deinde ut pro nihilo habeamus, quod passim singuli pluresve versus carent responsionis aequabilitate, illud primo adspectu non poterimus non mirari, quod pernimium interest inter singula carmina, „quorum antiquiora quidem brevioraque aut tota aut maximam partem apertissime produnt compositionem strophicam, quae in recentioribus longioribusque ita evanescit, ut perexigua tantum in formulis fere antiquitus retentis ab insciis poetis relicta videantur vestigia“ [33]). Auctore igitur, si quid video, et duce hac strophica doctrina cognoscemus, qui libri antiquiores quique recentiores a Koechlyo habiti sint. Ut hoc paullulum sequar, antiquissimam Iliadis partem cum omnium opinor consensu censebit contineri primis libris, quippe in quibus vix ullus reperiatur versus, quin ad strophicam se accomodet rationem; illa vero carmina, quae nomine Teichomachiae, Epinausimachae, Patrocleae inscribuntur, judicare debebit posterioris originis esse, quum rara in iis proposita sint stropharum indicia, rariora jam illa inde ab nono ejus carmine. Neque hoc quidem omnino improbo, at distat haec norma ac ratio aliquoties ab aliorum criticorum sententia, quae longe alio nititur fundamento nec scio an stabiliore. Quum ultimum enim Iliadis librum Koechly suam strophicam artem luculentissime prae se ferre videret, hunc aliis judicavit multo vetustiorem; a qua opinione quantum Lachmannus [34]) alii discrepent, nemo non compertum habet Homericarum quaestionum elementis imbutus eandemque in eo, cui Diomedis ἀριστεία nomen est, carmine videre mihi videor exsistere controversiam [35]). His vero rebus obiter monitis ad ipsam hujus strophicae compositionis rationem accedamus, quam Koechly ad sextum septimumque suae parvae Iliadis carmen non pertractavit, sed breviter indicavit [36]). „Neminem enim“ ait „recti judicii existimaturum esse casu factum, quod in sexto carmine non minus quatuor precum ad Jovem factarum formulae quaternis versibus decurrant. Eandemque compositionis legem quum videamus non solum in ceteris orationibus redire, sed in narrationum etiam continuo tenore saepius observatam quam neglectam esse, eum qui haec strophica exempla inscio atque invito poetae excidisse putaverit, rem multo improbabiliorem sibi persuadere videri, quam si quis ceteras etiam carminis partes in easdem stropharum formas restituendas esse arbitretur. Neque minus certa nos observatione admoneri, ut strophas ternorum etiam versuum sententiae nexusque unitate cohaerentium statuamus“. Esto; sed quae est earum ratio? Ad haec Koechly: „Ipsius naturae instinctu“ inquit, „poetas Homericos, qui carmina non legentibus scriberent sed audientibus recitanda componerent et solius

---

[33]) vid. Koechlyi praef. ad parv. Iliad. p. X. — [34]) vid. Lachm. observ. ad Iliad. p. 84. 85. Liesegang: dissertat. programmat. Duisburg. anno 1862 praemiss. p. 5. — [35]) Hauptius in additam. ad Lachm. observ. p. 106. — [36]) Koechlyi diss. de Hom Il. IV. p. 15.

memoriae ope sibi retinerent aliisque traderent, ad id artificium adduci necesse erat, quo non solum et canentium memoria sublevaretur et auscultantium audientia adjuvaretur, sed etiam ipsum carminis corpus quasi membris quibusdam integris articulisque congruentibus distingueretur. Ei legi vero et ad cantoris audientiumque commoditatem et ad ipsius carminis gratiam augendam inventae minime in servilem modum ita se addixerunt, ut etiam contra illam ipsam legis causam strophicorum versuum numerum atque cohaerentiam retinuerint. Imo nec ubicunque aut brevior sententia aut succincta notitia inserenda esset, ibi singulos binosve versus interponere dubitaverunt — et ubi sententiae ambitus atque copia major videretur quam quae arctis strophae cancellis circumscribi posset, in longiorem etiam plurium versuum seriem exspatiati sunt. Sed ne hic quidem respondendi aequabilitatem prorsus neglectam esse vel nostris in carminibus — i. e. in sexto septimoque — nonnulla exempla demonstrant."

Jam Koechlyanae legis strophicae rationibus allatis hujus compositionis exemplar quoddam ex parva Iliade repetitum iisdemque, quibus auctor insignivit, litteris notatum adjicere liceat. Elegi carmen septimum, cujus haec est ratio:

a. a. [1] b. b. b. c. d. d. d. c. 3.
[1] e. [1] e. [1] e. f. f. [1] f. 2. g. h. g. g. h.
[1] 2. [1] i. i. 4. c.
k. k. k. l. m. l. m.
[1] n. l.^{x} o. o. [1] 3. p. l.^{x} q. q.^{x} p. q. q.^{x}
1. l.^{x} o.^{x} [1] o.^{x} o.^{x} 7.
l.^{x} 3. r. r.^{x} r. r.^{x} [1] s. l.^{x} s.^{x} n.
l.^{x} 2. t. u. u. v. t. v. v. w. x. [1] x. w.

Totum igitur carmen exceptis versibus viginti septem videmus a Koechlyo ad suam doctrinam strophicam revocatum esse. In quo illud nos minus offendet, quod singuli illi versus a me cancellis inclusi in hac stropharum distributione prorsus omissi sunt; hos enim, quibus personae loquentes inducuntur, putat vir ille doctissimus separatim a rhapsodis recitatos esse. Praeterea fugere nos non potest, et eas, quae quasi strophae antistrophaeque signo illustrantur, particulas in similibus contrariisve narrationum orationumque locis indicari, et quamvis carmen sit permagna stropharum varietate, saepius tamen strophas bene se ordinateque excipere. At licet lex ipsa ita sit comparata, ut licentia temeritasque versus quibuslibet stropharum formis disponendi videatur coercita, quum non nisi in versibus integram et quasi absolutam continentibus sententiam stropha agnoscatur, non tamen ita haec ratio circumscripta est certis finibus, ut non varia cogitari efficique possit stropharum distributio. Atque hanc Friedlaenderi suspicionem[37]) Koechly ipse, qui Horatiano illo „nonum prematur in annum" satisfecisse se dicit, gravissimis exemplis confirmavit. Illarum enim, quas in suo sexto carmine

[37]) vid. Jahn. ann. 1861 p. 33.

indicaverat [38]), stropharum et quaternariarum et ternariarum tertiam fere partem postea in parva Iliade mutatam exhibuit et major etiam est numerus stropharum in septimo carmine aliter constitutarum. In sexto enim carmine Koechly in his dixerat stropharum quaternariarum ambitum agnoscendum esse: *Γ* 23—26, 54—57, 59—62, 63—66, 97—100, 101—104, 259—262, 263—266, 304—307, 340—343, 344—347, 377—380, 381—384, 451—454, *Δ* 5—8, 25—28, 58—61, 75—78, 85—88, 89—92, 118—121, 130—134, 135—138, 151—154, 155—158, 178—181, 199—202, 209—212, 213—216; ternariarum in his: *Γ* 105—107, 348—350, *Δ* 79—81, 124—126, 148—150, 160—162; sed alia est stropharum in parva Iliade dispositio. In septimo carmine mutatae inveniuntur hae quaternariae strophae: *Γ* 132—135, 164—167, 172—175, 184—187, 191—194, 195—198, 199—202, 203—206, 212—215, 228—231, 239—242, *Δ* 236—239, 242—245, 246—249, 293—296, 297—300, 341—344, 345—348, 358—361, 368—371, 415—418, ternariae hae: *Γ* 129—131, 161—163, 168—170, 178—180, 181—183, 188—190, 272—274, 280—282, 310—312, 326—328, 382—384, 412—414. Quae quum ita sint, crimini non dandum esse censeo, si quis Homericis carminibus aliter atque Koechly fecit et varie legem strophicam, quam mente ille comprehendit, obtrudi posse conjicit ideoque eam omnino assensu comprobare dubitat. Nam ne illud quidem recte excogitatum esse videtur, ipsius naturae instinctu poetas Homericos ad id artificium adduci necesse fuisse; quod quale sit, quum haud scio an penitus intellegi possit, tum posteriorum carminum ratio, quae ipso Koechlyo teste artis strophicae et compositionis rara praebent exempla, nos edocet, poetis illis, qui mente tantum linguaque componebant, minime hoc artificio opus fuisse. Imo si memoriam adjuvare voluissent, unam eandemque stropham per totum carmen admodum veri simile est eos usurpaturos fuisse, cujus rei exemplum et catalogi ille poeta et nostrorum epicorum auctores nobis proposuerunt. Hac ratiocinatione persuasum habeo illum, qui dissertationem suam in Jahn. ann. 1855 inserendam curavit, allectum esse, ut tria illa priora Iliadis carmina a Lachmanno constituta septenariarum stropharum ambitu decurrisse opinaretur. Quanta vero hujus licentia in strophis constituendis fuerit, acerrime jam Koechly reprehendit, nihil profecto dicens [39]) obstare, quominus unumquodque carmen in quaslibet aut binorum aut ternorum aut etiam plurium, quotcunque placuerint, versuum strophas distribuatur [40]). Koechlyana ratio strophica ex contrario peccare videtur. Quum enim diligentissime attenderet, ut stropharum sententiarumque eadem essent initia, non potuit non inter sese connectere atque conjungere varia stropharum genera tanta alter-

---

[38]) vid. diss. IV. p 13. sq. — [39]) vid. Koechlyi opuscul. epic. II. p. 6. — [40]) Ejusdemmodi periculum in antiquissimis poesis epicae theodiscae reliquiis factum est. Apud Hauptium III. p. 447. Muellerus carmen vel potius fragmentum illud de Hildebrandi cum Hadubrando filio certamine ad strophicam legem revocare conatus est item atque ignotus iste nulla ratione habita discrepantiae inter stropharum sententiarumque initia. Quod quidem periculum quibus argumentis ad hanc etiam de versuum Homericorum compositione strophica quaestionem maxime idoneis viri doctissimi refellerunt, ea vid. ap. Muellenhoff. de carm. Wessofontano p. 17. sq.

natione, ut vix inde legem quandam ac rationem extrices carminumque ars et compositio strophica subtilior sit quam quae auribus percipiatur.

Hisce de causis quum jam eo adducamur, ut strophicae nomen ab hac ratione universa abjudicemus, non ita tamen inventis Koechlyi adversari possumus, ut nihil veri in iis inesse dicamus. Hic illic enim in singulorum carminum ambage particulae inveniuntur, quae strophicae quasi responsionis partes luculentissime sibi vindicant. Ut paullo fusius disseram de eo loco, quo nego ullum tota Iliade reperiri aptiorem ad Koechlyi doctrinam, in altero Iliadis libro inde a versu 156, in parvae Iliadis carmine quarto inde a versu 39 tam bene ordinatum paribusque membris distinctum videmus sermonum narrationumque tenorem, ut inscio haec atque invito poetae excidisse vix crederes. Agamemno Graecis suaserat, re infecta in patriam redire. Quo consilio probato omnes ad naves ruunt, ut reditum parent. Jam octo versibus Juno, Trojanis infesta, Minervam exhortatur, ut irritum faciat hoc consilium totidemque Minerva Ulyssem Achivorum ignavia attonitum stimulat, ut tantam a se sociisque avertat contumeliam amentiamque. Duabus vero strophis ternariis antea legimus Minervam de Olympo delapsam in Graecorum exercitu Ulyssi obviam ire: totidem ejusdemmodi strophis Ulyssem docemur animo recreatum sociis se opponere. Reges verbis blandis, atrocibus populos, ut ab incepto desistant, admonet. Neque in his stropharum aequalitas desideratur. Ut enim stropha binaria et principum et infimorum castigationem inducit, ita utraque castigatio binis strophis ternariis continetur. Hujus loci igitur ratio est haec:

A. B. A. B. C. C.
3. 3. 2. 3. 3. 3. 3. 2. 3. 3. 2. 3. 3. 2. 3. 3.

Quid quaeso elegantius hac compositione, quid speciosius hac doctrina strophica? Attamen confiteamur oportet, hanc compositionis formam et virtutem non nisi versibus aliquot deletis explendescere. Ejecti sunt versus 164. 181. 194. 195. 206. Quum vero Koechly versum 164 Aristarchi exemplo cum aliis expungat[41]), versus 181, quod scio, a nemine dum tentatus est neque ipsum Koechlyum inveni ullam causam afferre, cur insiticium hunc versum duceret, nisi forte putavit, sponte apparere, ex versu 165 eum repetitum esse, ut Junonis et Minervae sermones ex more poetarum Homericorum adaequarentur. At si quis ob id ipsum hunc versum tutaretur, non reprehendendus esset. Nec magis de Ulyssis objurgationibus Koechlyi sententia cum aliis congruit. Ut Naegelsbachii rationes praetermittam, qui omnium quos libri exhibent versuum suscepit defensionem, Lachmannus Aristarchum secutus[42]) ejiciendos esse censuit versus 194—197, versum 193 autem retinendum, quem ab Aristarcho ea de causa conjicit cum ceteris deletum esse, quia versibus 203—206 ex Aristarchi sententia statim post v. 193 positis hujus versus clausula cum 203 non bene conveniret. In recensione Koechlyana utraque Ulyssis castigatio ex senis versibus constat, in dissertatione vero, quam de hoc libro scripsit,

---

41) v. diss. de Il. B. 1—483. — 42) v. observ. ad Il. p. 12.

primitus vir doctissimus suspicatus est cum Lachmanno et Curtio hos Ulyssis sermones ex trinis tantum versibus constitisse et varia additamenta varie nunc hoc nunc illo loco nunc plenius nunc parcius intrusa esse, donec a Pisistrateis certa in statione omnia collocarentur. Utcunque est, in his poetae artem quis est quin agnoscat? Talia vero non ubique leguntur neque in iis quidem carminibus, quae propter argumenti naturam simili fere particularum responsioni optime locum dedissent, eadem compositionis gratia inest. Redeo ad septimum carmen, in quo Koechly Teichoscopiam ex tertio Iliadis libro et Agamemnonis Epipolesin ex quarto in unius carminis corpus conflavit. Quum nihil fere nisi breviores sermones inter sese alternent, si strophicae cujusdam rationis speciem poeta exprimendam sibi sumpsisset, major sine dubio magisque perspicua esset singularum quae dicuntur stropharum convenientia; haec enim, ut ex arte ejus strophica litteris supra illustrata apparet, paucis tantum allocutionibus responsisque continetur. Conf. Γ 162—170, 172—180, 182—190. Δ 272—282 = 292—302. 285—291—303—309. 350—355 = 358—363. Aliud vero exemplum, quod primo sua praestantia nemini non probabitur, (cf. VII, 125—138 = Δ 232—249) non a poeta Homerico, sed ex Koechlyani ingenii acumine facile reperies originem duxisse. Num recte hoc factum sit, in medio relinquimus; quum vero, quotiescunque de insigni alicujus loci ratione strophica quaerimus, in difficultates sane graves in constituenda germana carminum Homericorum forma positas incidamus, bene memores, hac de re nihil adhuc omnium virorum doctorum consensu comprobari et considerantes, a Koechlyo potissimum proposita esse multa nova et singularia — e. g. septimum ejus carmen affero —, fines censebimus Koechlyanis angustiores huic doctrinae imponendos esse et si qua ex hac artis criticae argumenta repetantur, tractari „periculosae plenum opus aleae.“ A quo crimine quamquam Koechly se omnino defendit, non tamen ubique suarum atheteseon causas exposuit. Id supra jam ad libri secundi versum 181 annotavi itemque in aliis me nescire fateor, cur in primo libro versus 38, 81—83 rejecerit, quibus deletis et utraque Chrysae obtestatio ad quinariam stropham redacta est et Calchantis Achillisque sermones pari versuum numero decurrunt. Talibus igitur exemplis remotis nullaque opera data huic legi carminibus quasi inurendae, tamen haud ita parva restat versuum strophice dispositorum multitudo, quam Ribbekkius in Nov. Mus. Helvet. vol. I p. 220 satis diligenter collegit. Ad quae unum illud hic addere liceat, post orationum agitationes concitationesque rerum narrationes ad certam saepius binariarum stropharum ingressionem recurrere. Cf. Α 44—52. 595—600. Β 37—47. 102—105. Ε 432—439. 443—450. Θ 41—52.

Jam agnita in his strophica quadam forma, num invito atque inscio poetae eam excidisse cum Koechlyo putemus, quaeritur. De hac re sic existumo. A poetis epicis antiquam illam, quae in lyricis remanebat, componendi rationem strophicam relictam esse, quum epica carmina non cantu ederentur, sed recitarentur, ad unum omnes consentiunt. Sed hoc stropharum usu omisso non eo licentiae sponte patet poetas progressos esse, ut, qua sunt

Homerica carmina virtute atque praestantia, omnem membrorum convenientiam neglegerent atque contemnerent. Imo ipsius naturae instinctu, sensu, elegantia poetae adducebantur, ut vel alternos sermones ad eundem versuum numerum revocarent vel orationum narrationumque partes certis quibusdam membris distinguerent [43]). Haec igitur exempla invito poetae, non inscio excidisse fere dixerim. Quam stropharum responsionem, ut ita dicam, quominus in locos longe a se distantes transferamus, quod Koechlyo saepius vitio verti potest cf. *Α* 176—180, 228—232, 233—237. *Ζ* 30—31, 114—115, *ς* 151—154, 325—329, ubi versus, qui sequitur, a Kochlyo omittitur — ipsa hexametri vi et natura prohibemur. Quum enim in nostrorum epicorum e. g. Nibelungiadis ratione strophica bene videamus, cur quartum ejudem strophici generis colon primariam rythmorum mensuram reliquis decurtatis retinuerit, ut hac diversitate strophae etiam finis indicetur, in hexametri compositione *κατὰ στίχον* quae dicitur per se jam difficillimum est plurium versuum in unum strophae corpus comprehensionem auribus percipere, nisi argumenti recitandique ratio, multum adjuvant. Longiore vero versuum serie intermissa hac compositionis arte moveri non possumus. Deinde ex hexametri natura illud etiam sequi mihi videtur. Ut enim antea ipsius Koechlyi exemplo ostendi, variam strophicae doctrinae ab eo propositae ad Homerum applicationem non excludi, id inde efficitur, quod maximam partem cum hexametrorum longitudine sententiarum congruit ambitus [44]), ita ut libero cujusque arbitrio saepius majorem minoremve versuum numerum arcto strophae vinculo liceat conjungere. In Ribbekkii igitur de his rebus sententia nos acquiescere oportet, qui loco citato carminum Homericorum proprium esse dixit similia contrariave numerorum etiam aequabilitate distinguendi notandique studium atque amorem.

Hic nunc subsistimus. Ut paucis colligamus et commoneamus, quibus de rebus verba fecerimus, in tria diversa genera summo jure nobis videmur digessisse stropharum in Homero indicandarum pericula, quorum primum certam illam lyricorum normam in modorum iteratione positam sequitur, alterum catalogo Homerico vindicatum ipsa ejus indole commendatur. De tertii vero ratione, etiamsi Koechlyo [45]) dandum est, neminemdum constanter aggressum esse hanc doctrinam, gravissimae exstant dubitationes arctioribusque certe finibus ejus applicatio coercenda est.

---

[43]) Hoc loco silentio praeterire non possum, hac dissertatione perscripta me Jahn. annal. a. 1868 evolventem invenisse, eandem fere sententiam a Ritschelio de poetis latinis latam esse, quos magis etiam quam Homerum arte strophica in carminibus componendis usos esse viri docti contenderunt. Cf. Jahn. annal. 1869. p. 334. ff. — [44]) Hanc quam protuli sententiam consentire cum aliis video. Schnorr de Carolsfeld dissertationem de similitudine quae inter carmina Homerica et poesin popularem intercedit, Jahnii annalibus inserendam curavit, — quo anno memoria non tenui — in qua Homericae artis metricae eam esse legem dicit, ut singuli fere versus orationis etiam membra efficiant, quam legem epicorum poetarum revocandam esse ad artem prioribus temporibus ortam et excultam. — [45]) vid. Koechlyi de Odyssea dissertationes tres, ubi, quas antiquissimas Odysseae partes censet esse, iis item compositionem strophicam attribuit.